

nunc decernimus, et declaramus, atque omnimodam jurisdictionem, auctoritatem et potestatem in iis omnibus, quæ quoquomodo personas, ecclesias, domus, collegia, res, et bona diætæ jam extinctæ Societatis respiciunt, privative, quoad omnia alia tribunalia, etiam quarumcunque congregationum eorundem S. R. E. cardinalium tam concilii Tridentini interpretum, quam consultationibus episcoporum et regularium, ac negotiis propagandæ fidei, ac disciplinæ regulari præpositorum, sublata eis quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, atque auctoritate, ad eandem congregationem per præsentem constitutam spectare et pertinere statuimus et jubemus. Volentes insuper, ut ad dictam tantummodo congregationem a Nobis, ut præfertur, erectam, privative pariter quoad alios quoscunque, et quæcunque alia tribunalia spectet, quoque, et pertineat non solum providere, sive quæ penitentiarios basilicæ principis apostolorum de Urbe, sive quæ alios penitentiarios almæ domus Laurentianæ respiciunt, sed etiam viros doctrinæ ac pietatæ præditos, in superiores, lectores, seu magistros domorum, collegiorum, et seminariorum hujusmodi eligere ac deputare. Decernentes easdem præsentem litteras firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscunque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. cardinales iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis ac innovatis, quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, ad præmissorum effectum specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 13 Augusti 1773, pontificatus nostri anno v.

A. Card. NIGRONUS.

ADDITIONES CASINENSES.

Sed eadem Societas restituta fuit anno 1814 a Pio papa VII sequenti constitutione.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.
16. Sollicitudo omnium Ecclesiarum humilitati Nostræ meritis licet et viribus impari, Deo sic disponente, concredita, Nos cogit

omnia illa subsidia adhibere, quæ in Nostra sunt potestate, quæque a divina providentia Nobis misericorditer subministrantur, ut spiritualibus Christiani orbis necessitatibus quantum quidem diversæ multiplicisque temporum locorumque vicissitudines ferunt, nullo populorum et nationum habito discrimine, opportune subveniamus. Hujus Nostræ pastoralis officii oneri satisfacere cupientes, statim ac tunc in vivis agens Franciscus Kareu, et alii sæculares presbyteri a pluribus annis in amplissimo Russiaco imperio existentes et olim addicti Societati Jesu a felicis recordationis Clemente XIV prædecessore Nostro suppressæ preces Nobis obtulerunt, quibus facultatem sibi fieri supplicabant, ut auctoritate Nostra in unum corpus coalescerent, quo facilius juventuti fidei rudimentis erudiendæ, et bonis moribus imbuendæ ex proprii instituti ratione operam darent, munus prædicationis obirent, confessionibus excipiendis incumberent, et alia sacramenta administrarent, eorum precibus eo libentius annuendum Nobis esse duximus, quod imperator Paulus primus tunc temporis regnans eosdem presbyteros impense Nobis commendavisset humanissimis litteris suis die undecima Augusti anni Domini millesimi octingentesimi ad Nos datis, quibus singularem suam erga ipsos benevolentiam significans gratum sibi fore declarabat, si catholicorum imperii sui bono Societas Jesu auctoritate Nostra ibique constitueretur; quapropter Nos attentò animo perpendentes quam ingentes utilitates in amplissimas illas regiones evangelicæ operariis prope modum destitutas essent perventuræ, quantumque incrementum ejusmodi ecclesiastici viri, quorum probati mores tantis laudum præconiis commendabantur assiduo labore incenso salutis animarum procurandæ studio, et indefessa verbi divini prædicatione catholicæ religioni essent allaturi tanti, tamque benefici principis votis obsecundare rationi consentaneum existimavimus. Nostris itaque in forma brevis litteris datis die septima Martii anni Domini millesimi octingentesimi primi prædicto Francisco Kareu, aliisque ejus sodalibus in Russiaco imperio degentibus, aut qui aliunde illuc se conferre possent, facultatem concessimus, ut in unum corpus, seu congregationem Societatis Jesu conjungi, unisque liberum ipsis esset in una vel pluribus domibus arbitrio superioris intra fines duntaxat imperii Russiaci designandis, atque ejus congregationis præpositum generalem eundem presbyterum Franciscum Kareu ad Nostrum, et apostolicæ Sedis beneplacitum deputavimus cum facultatibus necessariis, et opportunis, ut sancti Ignatii de Loyola regulam a felicis recordationis Paulo tertio prædecessore Nostro apostolicis suis constitutionibus approbatam, et confirmatam retinerent et sequerentur, atque, ut hoc pacto Socii in uno religioso cœtu congregati, juventuti, religioni ac bonis artibus imbuendæ operam dare, seminaria et collegia regere, et probantibus ac consentientibus locorum ordinariis, confessiones

excipere, verbum Dei annuntiare, et sacramenta administrare libere possent, et congregationem Societatis Jesu sub Nostra et apostolicæ Sedis immediata tutela, et subjectione receperimus, et quæ ad illam firmandam et communiendam, atque ab abusibus et corruptelis, quæ forte irrepsissent, repurgandam, visum fuisset in Domino expedire Nobis, ac successoribus Nostris præscribenda, et sancienda reservavimus, atque ad hunc effectum constitutionibus apostolicis, Statutis, consuetudinibus, privilegiis, et indultis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, et confirmatis, præsertim litteris apostolicis memorati Clementis decimiquarti prædecessoris Nostræ incipientibus — Dominus, ac Redemptor noster — expresse derogavimus in iis tantum quæ contraria essent dictis Nostris in forma brevis litteris, quarum initium — Catholicæ — Et duntaxat pro Russiaco imperio elargitis consilia, quæ pro imperio Russiaco capienda decrevimus ad utriusque Siciliæ regnum non ita multo post extendenda censuimus ad preces charissimi in Christo filii Nostræ Ferdinandi regis, qui a Nobis postulavit, ut Societas Jesu et modo, quo in præfato imperio stabilita a Nobis fuerat in sua quoque ditione ac status stabiliretur, quoniam luctuosissimis illis temporibus ad juvenes Christiana pietate, ac timore Domini, qui est initium sapientiæ, informandos, doctrinæque et scientiis instruendos præcipue in collegiis, scholisque publicis clericorum regularium Societatis Jesu opera uti in primis opportunum sibi arbitratur. Nos ex numeris Nostræ pastoralis debito piis tam illustris principis desideris, quæ ad majorem Dei gloriam, animarumque salutem unice spectabant morem gerere exoptantes, Nostras litteras pro Russiaco imperio datas ad utriusque Siciliæ regnum extendimus novis in simili forma brevis litteris incipientibus — Per alias — expeditis die trigesima Julii anni Domini millesimi octingentesimi quarti pro ejusdem Societatis Jesu restitutione unanimi fere totius Christiani orbis consensu instantes, urgentesque petitiones a venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, atque ab omni insignium personarum ordine et cœtu quotidie ad Nos deferuntur, præsertim postquam fama ubique vulgata est uberrimorum fructuum, quos hæc Societas in memoratis regionibus protulerat, quæque Prolis in dies crescentes fecunda, Dominicum agrum latissime ornatura, et dilatatum putabatur dispersio ipsa lapidum sanctuarii ob recentes calamitates, et vicissitudines, quas deflere potius juvat, quam in memoriam revocare fatiscens disciplina regularium ordinum religionis; et Ecclesiæ catholicæ splendor et columnæ; quibus nunc reparandis cogitatione curæque nostræ diriguntur efflagitant, ut tam æquis, et communibus votis assensum Nostrum præbeamus. Gravissimi enim criminis in conspectu Dei reos Nos esse crederemus, si in tantis reipublicæ christianæ necessitatibus ea salutaria auxilia adhibere negligeremus, quæ singulari providentia

Deus Nobis suppeditat, et si Nos in Petri navicula assiduis turbinibus agitata et concussa collocati, expertos, et validos qui sese nobis offerunt remiges ad frangendos Pelagi fluctus naufragium Nobis et exitium quovis momento minitantis respueremus tot ac tantis rationum momentis, tamque gravibus causis animum nostrum moventibus id exsequi tandem statuimus quod in ipso pontificatus nostri exordio vehementer optabamus. Postquam igitur divinum auxilium ferventibus precibus imploravimus, suffragiis, et consiliis plurium venerabilium fratrum Nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium auditis, ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine ordinare, et statuere decrevimus, uti revera hæc nostra perpetua valitura constitutione ordinamus, et statuimus ut omnes concessionem et facultates a nobis pro Russiaco imperio et utriusque Siciliæ regno unice datæ, nunc extensæ intelligantur, et pro extensis habeantur, sicut vere eas extendimus ad totum nostrum statum ecclesiasticum æque ac ad omnes alios status et ditiones. Quare concedimus et indulgemus dilecto filio presbytero Thaddeo Borzozowki moderno præposito generali Societatis Jesu, aliisque ab eo legitime deputatis, omnes necessarias et opportunas facultates ad nostrum et apostolicæ Sedis beneplacitum, ut in cunctis præfatis status et ditionibus omnes illos qui in regularem ordinem Societatis Jesu admitti et cooptari petunt admittere et cooptare libere, et licite valeant qui in una, vel pluribus domibus, in uno vel pluribus collegiis, in una vel pluribus provinciis sub præposito generali pro tempore existentis obedientia conjuncti, et prout res feret distributi ad præscriptum regulæ sancti Ignatii de Loyola apostolicis Pauli tertii constitutionibus approbatæ et confirmatæ suam accommodent vivendi rationem. Concedimus etiam et declaramus quod pariter juventuti catholicæ religionis rudimentis erudiendæ, ac probis moribus instituendæ operam dare, necnon collegia et seminaria regere, et consentientibus atque approbantibus ordinariis locorum in quibus eos degere contigerit, confessiones audire, verbum Dei prædicare et sacramenta administrare libere et licite valeant. Omnia vero collegia, domus, provincias, sociosque sic conjunctos, et quos in posterum conjungi et aggregari contigerit, jam nunc sub immediata Nostra, et hujus apostolicæ Sedis tutela, præsidio et obedientia recipimus, Nobis et Romanis pontificibus successoribus Nostris reservantes ea statuere, et præscribere quæ ad eandem Societatem magis magisque constabiliendam et commutandam, et ab abusibus si forte, quod Deus avertat, irrepsissent, repurgandam statuere, ac præscribere visum fuerit expedire. Omnes vero, et singulos superiores, præpositos, rectores, socios, et alumnos qualescunque hujus restitutæ Societatis, quantum in Domino possumus, commonefacimus, et exhortamur ut in omni loco, et tempore sese fideles asseclas, et imitatores tantum sui Parentis, et institutoris exhibeant, regulam

ab ipso conditam et præscriptam accurate observent, et utilia monita ac consilia quæ filiis suis tradidit summo studio exsequi conentur. Denique dilectis in Christo filiis illustribus, et nobilibus viris principibus, ac dominis temporalibus, necnon venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, aliisque in quavis dignitate constitutis sæpeditam Societatem Jesu, et singulos illius socios plurimum in Domino commendamus, eosque exhortamur ac rogamus, non solum ne eos inquietari a quocunque permittant ac patiantur, sed ut benigne illos, ut decet, et cum charitate suscipiant. Decernentes præsentis litteras, et in eis contenta quæcunque semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis ad quos spectat, et pro tempore quodocunque spectabit inviolabiliter observari debere; sicque et non aliter per quoscunque judices quavis potestate fungentes judicari et defini pariter debere ac irritum et inane, si secus super his a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac præsertim supræmemoratis litteris in forma Brevis felicis recordationis Clementis decimiquarti incipientibus: Dominus ac Redemptor noster, Sub annulo piscatoris expedita die vigesima prima Julii anni Domini millesimi septin-

JOB PROPHETA.

(1. Job dicitur natus matre *Bosra*, patre *Zara*, vel *Zareph*, Isaaci pronepote, nam Abraham genuit Isaac; hic Esau; hic Rahuel; hic *Zara*; hic Job (*Gen. xxxvi*). Fuit ergo Job quintus ab Abrahamo. Sic traditur in Appendice libri Job, quam Septuaginta Interpretes, et SS. Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Eusebius, et alii Patres in Catena, et a Bellarmino citati, passim ut legitimam admittunt. Hic habitavit in terra Hus, seu in Ausitide in orientali Idumæa, in Bozra finibus; et ut rex imperavit in Edom post Balac seu Bela, ut in Genesi nominatur; et regem fuisse ipsemet Job satis innuit cap. *xix*, v. 9, et alibi. Imo regem regum fuisse probat Pineda in cap. prim. Job., v. 3, ubi dicitur: « Erat vir ille magnus inter omnes orientales. » (2. Fuit idem etiam Sacerdos, ut patet ex sacrificio, quod obtulit vers. 5. (3. Fuit et Propheta, inquit SS. Hieronymus, Augustinus, Gregorius, ut colligitur ex cap. *xiv*, v. 1. (4. Et insuper martyr, imo multis martyribus majorem vocat S. Chrysostomus, cum aliis, quos passim citant Pineda et Salianus.

(5. Jobum fuisse sub id tempus quo mortuus est Isaac ejus abavus, et quidem ipso anno quo Jacob cum suis in Ægyptum descendit; sicque vixisse sub tempus habitationis Hebræorum in Ægypto, et pertigisse ad tempora Moysis, colligitur ex communi et verosimiliori sententia, quam tenent Philo, Aristæas, Athanasius, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus, et ex re-

gentesimi septuagesimi tertii, quibus ad præmissorum effectum expresse ac speciatim intendimus derogare, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut eorumdem præsentium litterarum transumptis sive exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur quæ ipsis præsentibus adhibetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, statuti, extensionis, concessionis, indulti, facultatis, declarationis, receptionis, reservationis, moniti, exhortationis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo quartodecimo, septimo Idus Augusti, pontificalus nostri anno quindecimo.

A CARD. PRO-DATARIUS

R. CARD. BRASCHIUS DE HONESTIS.

Visa

De Curia D. Testa.

F. Lavizzarius.

centioribus Abulensis, Pererius, a Lapide, Pineda, et alii; vixit enim ducentis et pluribus annis: Job. cap. ultim., vers. ultim. (6. Hæc ex eruditiss. Tirino Comment. in *Gen. cap. xxxvi*, et in Job. cap. *i*, ubi insuper addit trigesimo post anno Jobum uxorem duxisse *Bosorram* Arabissam, ac sub idem tempus regnum administrasse. Calmetus autem in dictionario verb. *Job*, § Rerum a Job gestarum, refert scriptores alios tradere Jobi uxorem vocatam fuisse *Ramissam* e genere *Loth*, id est Moabitidem, vel Amonitidem.

ADDITIONES CASINENSES.

Job virtute, patientia et pietate insignis, terram Hus, seu Ausitidem in orientali Idumæa in Bosræ finibus incolebat.


Quando ortus sit, quaque tempestate flourerit, dissidentibus scriptoribus, valde incertum. Ad Græcorum et Arabum Job exemplarium calcem, atque in veteribus vulgatis latinis Bibliis, hæc, ut aiunt, ex Syriaco excerpta leguntur: « Hic in terra quidem Ausitide redditur habitans in finibus Idumææ et Arabiæ, et erat ei nomen Jobab. Cum autem accepisset uxorem Arabissam, generat filium, cui nomen Emmon. Erat autem ipse ex patre quidem *Zara*, de filiis Esau filius, matris autem Bosræ: ita ut ipse sit quintus ab Abraham. Et hi sunt reges qui regnaverunt in Edom, cujus regionis etiam ipse dominatus est: primus Balac filius Beor, et nomen civitatis ejus Dennaba; post Balac autem Jobab, qui vocatur Job; post hunc

autem Asom, qui erat dux ex regione Themanitide; post hunc autem Adad, filius Barad, qui excidit Madiam in campo Moab, et nomen civitatis ejus Getham. Amici autem qui ad eum venerunt Eliphaz, de filiis Esau Themanorum; Baldad, tyrannus Sauchæorum; Sophar, rex Minæorum.

Hæc omnium vetustissima est Jobi genealogia, cui Aristæas, Philo, Polyhistor apud Eusebium lib. *ix*, cap. 25, Præpar. Evang., suffragantur. Neque sane rejici posse videtur, quippe a veteribus Patribus comprobata; ita ut a Judæis ad nos devenisse affirmare fas sit.

Insuper ex sacris litteris id ipsum vel colligi potest: siquidem in cap. *xxxvi* Genes., v. 31, 32, 33, ubi genealogia filiorum Esau recensetur, hæc habentur: *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberet regem filii Israel, fuerunt hi: Bela filius Bear, nomenque urbis ejus Denaba. Mortuus est autem Bela, et regnavit pro eo Jobab, filius Zars de Bozra.* Hæc totidem verbis repetuntur I Paralip., v. 43, 44. « Jam vero communiter persuasum est Jobab ipsissimum esse S. Jobum patientiæ exemplum illustre; » Sic Calmetus in Genes. loc. cit.

Hinc sequens genealogia de Jobo subnecti potest, ut eundem Moysi coævum ex magis recepta opinione faciamus.



Quoad verò ejus historiam spectat, hæc ex S. textu deprompta nosse satis sit.

Job virtute et religione eximius, pecoribus atque mancipiis ditissimus, maribus septem, feminis vero tribus ex eadem probabiliter uxore susceptis, apud Orientis regiones, et omnes citra et ultra Jordanem populos maximi fuit. Ejus filii per circulum vicissim sese convivio excipiebant; circulo autem peracto, pius pater pro eorum singulis holocaustum Deo immolabat, ut si quid forte deliquissent, ignosceret. Adhæc ab omni non modo operum, sed etiam mentis nequitia adeo procul erat, ut se cum oculis suis convenisse dicat, ne vel virginem intueretur; ac insuper pauperibus, pupillis, viduis, cæcis, claudis omni studio adfuisse idem ipse fateatur.

Inter filios Dei, sive angelos, quadam die Satan quoque coram Domino adstans, ab eoque rogatus an Jobi virtutem animadvertisset, ita Jobum idcirco se gerere dixit, quod eum bonis maximis affecisset; ac justitia sane, si quid ei calamitatis contingeret, recessurum.

Quamobrem, sinente Deo ut de viro caperet experimentum, modo ejus incolumitati non officeret, Satan in ejusdem agros

impulit Sabæos, qui agricolis cæsis, boves diripuerunt; ignem e nubibus demisit, qui oves pecuariosque confecit: tres Chaldæorum turmas concitavit, qui camelos abduxerunt; deinde, filiis ac filiabus apud primogenitum fratrem mensæ discumbentibus, adeo furentem ventum excitavit, ut domo concussa atque eversa, omnes ruinis oppressi mortem occubuerint. Quibus nuntiis, alterum altero insequente, auditis, Job scindens vestimenta sua, *tonso capite, corruens in terram, adoravit, dicens: Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.*

Iterum Satan coram Domino constitutus, ab eoque interrogatus, an Jobi tot tantisque calamitatibus affecti patientiam obstupisset: Omnia, respondit, homo ultro dimittit, modo sua salus integra sit, qua si Job destitueretur, a Domino esset defecturus. Quocirca ille spiritus nequam, Deo permittente, modo vitæ parceret, iis (Jobum) afflixit vulneribus, ut sedens in sterquilinio fluentem toto corpore saniem testa radere cogeretur. Atque quo magis mala hæc ingravescerent, uxorem quoque (diabolico impulsu, ut D. Gregorius M. scribit) ad illum de sua simplicitate redarguendum, atque ad incitandum contra Deum præsto fuit. Cujus stultitiæ Job procul ab adhærendo, eandem insuper de contemptu in divinam providentiam increpavit: et in his omnibus, ut sacer textus aperte significat, non peccavit Job labiis suis.

Interea audientes tres amici Job omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamithes. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, et exclamantes ploraverunt.... Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem (Job *ii*, *11* et seqq.).

Post hæc aperuit Job os suum, et maledixit diei suo. Et locutus est: *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras.... Obscurent eum tenebræ, et umbra mortis.... Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii?... Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem....* (Job *iii*, *1* et seqq.).

Ob hæc, et alia hujusmodi verba, atque concepta, ex Judæis quidam Jobum impietatis arcessunt: blasphemiam et impatientiam a recentioribus quibusdam hæreticis accusatur. At Patres et Catholici interpretes jure meritoque illum excusant. Quippe animadvertunt familiarem Orientalium sermonem magis vividum esse, igneum magis quam nostrum; hinc phrases apud ipsos haberi, quæ multo infra significationis suæ vim explicandæ ac intelligendæ sunt ad justum sensum assequendum.

Ortum suum eisdem fere ac Job verbis exprimit Jeremias cap. *xx*, v. 14, 15, hoc